

aliquem in eis iurisdictionem aut auctoritatem obtineant ne uno quam eis in dictis officiis obbediat.

Item, promitto quod relationes causarum concistorialium per turnum ipsis dominis cardinalibus committam expediendis, et quod nihil exigatur, seu contenti sint de quo sponte donatur, non tam in pecunia vel auro, aut argento, aut iocalibus, et quod cedula promotionis non possit ultra triduum detineri.

Item, decerno et statuo quod sex episcopatus cardinales et alii tituli eorundem, domusque eorundem titularum, nec non castella et arces cardinalibus assignata, per eorum decessum optari per ordinem possint per alios antiquiores cardinales.

Item, quia saepe accidit quod principes seculares petunt a dominis cardinalibus aliqua minus iusta et honesta tangentia aliqua ex parte honorem Pontificis et Sacri Collegii vel alicujus ex dictis cardinalibus, nec propter aliquot respectus particulares inducantur respondendum aliter quam conveniat, ideo teneam talibus petitionibus respondere, se non posse aliter respondere set tamen modo referre in Sacro Concistorio, et quod postea dabet responsum et ordinationem Sanctissimi Domini Nostri et ipsius Sacri Collegii.

Item, ad hoc ut cardinalium vota libera sint, et in electione Pontificis et in aliis cesset omnis symoniae suspicio, et pro decore tantae dignitatis, teneatur futurus Pontifex providere cardinalibus pauperibus usque ad summam octo millia ducatorum auri in redditibus beneficiorum de primis vacaturis, praesertim vacationis per obitum aliorum cardinalium, quae aliis distribui vel dari non possunt quacumque occasione vel causa, etiam ad cujuscumque principis vel regis instantiam. Similiter, beneficia assumendi ad pontificatum metropolitanum et cathedralis ecclesiae, monasteria quaecumque et alia beneficia, officia etiam videlicet camerariatus, vicecancellariatus, poenitentiariae legationes etiam vacantes, ut Avinionensis, regressus, domus, titulus seu diaconia et pensiones non extinctae, ante exitum conclavis dentur et distribuuntur pro rata inter omnes cardinales equaliter et equata portione dividenda; et dicta distributio fiat per Collegium, non ad instantiam vel voluntatem promoti et assumpti ad papatum, ut cessit omnis suspitio symoniae labis, quibuscumque promissionibus vel resignationibus non obstantibus.

Item, promitto, juro et voveo, quod suprascripta capitula omnia et singula ad unguem observabo sub poena anathematis, nec unquam sub eisdem poenis requiram cardinalem ut in aliquo contraveniat prae-

fatis capitulis; quod si praetermitterem, volo quod nullo consentiant, imo obstinent omnia sub dictis poenis et maledictionis. Coeterumque, si secus geram vel timore fecerim accedente auctoritate et determinatione mea, et similiter quicquid per me contra vel praeter dicta quaecumque ratione factum vel gestum fuerit, sit ipso iure irritum et inane nulliusque momenti et roboris et pro infecto habeatur, et nihilominus praefata et quodlibet ipsorum in suo vigore et observantia firma permaneant.

Forma juramenti.

Nos omnes et singuli Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales congregati in unum in palatio apostolico pro electione Romani Pontificis futuri in Conclavi, ante altare in quo missa communis celebrari consuevit, supra dicta capitula inter nos unanimiter et concorditer ordinata pro defensione Catholicae fidei et erectione libertatis ecclesiasticae, pro reformatione Ecclesiae in capite et membris ac vinculo caritatis et pacis inter futurum Summum Pontificem et fratres ejus Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, confirmando vovemus Deo et Ejus matri Virgini Gloriosae et beatis apostolis Petro et Paulo totique celesti curiae iurantes ad Sancta Dei Evangelia corporaliter per nos tacta et alter alteri ac etiam notariis publicis instrumentis, tamquam personis legitimis, nomine Sanctae Romanae Ecclesiae stipulantibus, quod quicumque nostrum qui fuerit assumptus ad apicem apostolatus, omni dolo, fraude et machinatione cessante et omni prorsus eorum exceptione remota, servabit et adimplebit omnia et singula in dictis capitulis contenta, nec eis vel eorum alicui contraveniet directe, vel indirecte, publice vel occulte, quodque post electionem et ante publicationem vel intronizationem, omnia et singula praefata capitula confirmabit et aprobat autentico modo, et de novo puram promissionem faciet etiam per viam contractus in omnibus et per omnia coram omnibus nobis et notariis et testibus, cum subscriptione manus propriae, simili voto, iuramento, obligatione et stipulatione promitet qui ex nobis electus fuerit, a praefata promissione, voto, obligatione iuramenti, praestatione et ejus observatione ac ab omnibus et singulis in omnibus capitulis contentis absolutionem non nec sibi concedi facere, concessam uti, nec ipsa potestate per ipsum eligendum alteri data se faciat absolvi, seu etiam secum cum aliquo dispensari; quod si forsan, quod absit, aliquis nostrum ad pontificatum